

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

LXXIIX. Charact. Eventor. Utilium

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

proditum putaverim exemplum, quod militem non facile eligat, nisi veteranum, ca-  
sibus exercitum et praeliis insuper duratum. Quamquam nec velim celare, faecem  
saepe Asiae, colluviem gentium, impedimenta plurima, explere militiam magis,  
quam firmare. Robur alioquin Praetoriani, et Cataphracti milites audiunt. Sed de  
militia Turcica alias tempus erit, ut plenius agam. Hic desinam in pietate, optasse  
contentus, ut, quicquid infortunii haecenus sensit Christianus orbis, in exitium  
Turcae vertatur; quin tandem antiquum Augusto nostro ab Oriente redeat decus,  
amissa Venetis restituantur.

## LXXIIX. CHARACT. EVENTOR.

## VTILIVM.



Mnium rerum modus est, et nimia moles seipsam non capit, va-  
stumque imperium saepe fluctuat, ac difficulter etiam continetur.  
*Apud Thucydidem hist. lib. VI. ubi Nicias iussit Atheniensibus, pri-  
us potiusque de firmando, quam de augendo Imperio cogitandum  
esse: Tacitus Annal. I. 11. 8. Curtius IV. 11. 8.*

§. II. Igitur maxime securitatis interest, ut maior sit cura  
defensionis, quam potentiae acquirendae, cum hanc plerumque maiora pericula se-  
quuntur: quam Periculis sententiam adducit belli *Peloponnesiaci scriptor lib. I.*

§. III. Nec vero committendum est, ut finitimorum iniuriae negligantur:  
quo argumento utuntur *Coreyraei*, causamque defensionis suae commendant, et  
confidenter affirmant, *iniustum esse, homines periclitantes, et non inimicos repelli,*  
*in primis vicinos, et foedus atque auxilium ex gravi et necessaria causa petentes, a-*  
*pu'd eundem d. lib.*

§. IV. Quod apud Romanos inter regnandi artes fuit, magnamque iis po-  
tentiae accessionem attulit, cum foedera pangerent, ut amicorum sociorumque res  
arbitrio suo moderarentur, coloniasque ducerent, ut provincias nuper acquisitas  
firmarent, et mobilem otiosamque urbis faecem exhaustirent. Id ratione prudenti-  
ae metitur *Hermocrates*, et licere existimat, si dominari cupientibus vicini ultro  
cedant, neque obnitantur, *apud eundem lib. III.* Cumque Romani nulla iuris specie  
foedera nova pacisci possent, et vel humanitatis causa missuros se reciperent, qui a  
lieno nomine vetustiores socios rogarent, populi spe frustrati interdum se dedide-  
runt, ut *Campani apud Livium VII. 31.* Quibus rebus evenit, ut annitentibus *Cam-*  
*panis*, fines proferrent, et *Samnio* potirentur, *Nic. Machiavellus de Republ. lib. III.*  
*cap. 1.*

§. V. Ceterum in coloniis animus auspiciisque mittentis inspicienda  
sunt, ut constet, quo iure, et in quas regiones coloniae mittantur, atque his indici-  
is intelligatur conditio et status, quod nimis laxè decidit *Hugo Grotius*, et missum  
in

in



in coloniam populum statim novum liberumque factum esse censet, *de iure belli et pacis II. 9. 10.* De more mittendi colonias *vid. Caspar Facius posit. Livian. art. VII.*

§. VI. Ut olim coloniae ad levandas inutili turba urbes comparatae sunt, sic instituti huius antiquitatem multae et Christianae gentes, eae maxime, quae ad Indos navigant, utili ratione tuentur: alii quoque bello redundantem materiam exonerant, quasque vena secta sanguinem temperant, caloremque imminuunt ac sedant, praecipue Francorum Reges, postquam duellis interdixerunt.

§. VII. Simulatque vero ab his institutis, bellique studiis Romae discessum est, caput rerum in discrimen venit, barbarisque venientibus patuit, et sedes imperii capta direptaque est, et robur dignitasque imperatorum exolescere coeperunt. Eam ob causam *Synesius* gravem scitamque orationem scripsit ad Arcadium, et quae imperatorem decent, commonuit, pariterque inter non Christianos *Zosimus* errores imperantium perstrinxit.

§. VIII. Nam venire usu solet, ut populus castrensi disciplina terribilis, remisso militiae sacramento, langvore torpeat, mollitieque mutatus, amore otii iniurias patiatur, atque his rebus non possit resistere invadentibus, neque obniti arbitrio externo. Id vero est violare iustitiam, et cedere insolentiae, et leges accipere a laedentibus, et ipsam adeo amittere libertatem. Graviter Corinthii antiquitus dixerunt, sapienterque censuerunt. *Ut modestia est, quiescere, si non afficiaris iniuria: sic iustitia est, cum iniuria afficimur, bellum paci anteferri, Thucydides lib. I.*

§. IX. Quod regnante Honorio Aug. imprudenter neglectum est, quum pax non tuta et iniqua coaluit, de qua sua aetate, nec sine periculo suo Lampadius pronuntiavit. *Non est ista pax, sed pactio servitutis, apud Zosimum hist. V. 29.* Recte quondam Hamiltonii Scotorum proceres iudicant, *pacem simulatam aperto bello magis periculosam, Georgius Buchananus rer. Scot. lib. XVII. Polydorus Vergilius Angl. hist. lib. XX.* Haud aliter de pace Noviomageni non ita pridem iudicavit homo expertus et prudens, ut, quae inita, plus amissum esset, quam iustis armis amitti potuisset. Auctor scripti sub titulo *la Suede redressee: en deux anneés de paix, la France a fait plus de conquêtes, qu'en sept anneés consecutives de guerre.* Huc spectat nuper quidam Christianus Freymundus, et fata Austriae, et patriae vicem dolet.

§. X. Interdum vero, qui pactorum religione tanguntur, trahere promissis, quam transigere malunt, quod usu probavit Carolus V. cum per Galliam profecturus, Francisco I. spem reddendi Mediolani faceret, sed progressus in Belgium, iamque extra periculum constitutus, primum excusare, mox denegare coepit, cuius crudelitatis Regem valde poenituit, reiecta in Memorantium culpa, ut est *apud Iac. Aug. Thuanum hist. lib. I.* Et Iacobus V. Rex Scotiae experiendo didicit, multos spe pollicitationibusque duci, qui nihil consequantur, *Buchananus lib. XIV.* Saepe enim speciosa verba rebus vacua sunt, quod Alvarum Lunam eventus docuit, epud *Ioannem Marianam de reb. Hist. lib. XXII. cap. 12. plures, inquit Tacitus, fefellerunt fide amicorum, aut suomet astu occulenti, hist. II. 98.*

§. XI. Ra-



§. XI. Rarus est aequi iustique amor, et vicinitatis amicitiaeque ius fragili admodum fundamento nititur, nisi armis muniatur, atque adeo mutuo metu contineatur. Nam expedit quidem amicitia, sed publicae securitati non sufficit: utilis est, et optari debet, sed non satis est tuta. Sapienter *Virgilius Malvezzius* dixit, amicos ita habendos esse, ut offendere ne possint, cum alioqui saepe amici hoc tam sancto nomine abutantur, et credulos circumveniant, in cautosque evertant, in *Romulo*.

§. XII. Quo rerum statu magni refert, quae conditione sint finitimi, quas vires habeant, quorsum inclinent, quid intendant, quam situ opportuni sint, augendi, an conservandi consilium ineant, quae foedera, et quamobrem faciant, religionis, libertatis, an metus causa pacifcantur. Sane vel sola metus ratio movet Principes studiis ritibusque dissidentes, ut foedera contrahant, et adversus vim armaque potentioris communi auxilio se firment, quod de Germanis observavit *Io. Fr. Commendonus apud Antonium Mariam Gratianum lib. II. cap. 1.*

§. XIII. Diligenter autem providendum est, ut rationes potentiae bene sapienterque constituantur, ne finitimus, altero finitimo oppresso, potentior reddatur, ut apte censuerunt prudentiores Angliae senatores, cum de asserenda F. Belgii libertate ultro citroque disceptaretur, apud *Robertum Ionhstonum hist. Britan. lib. XIII.* Etenim a multis inde seculis Angli partes officiumque librandae vicinorum potentiae susceperunt, recteque praestiterunt, in primis *Henricus VII.* *Henricus VIII.* et prudentissima fortunatissimaque Anglorum regina *Elisabetha*. Hinc in eo regno alia regna servari dixit *Antonius Perezus, in ep. XVI. ad Essexium*, qui alibi regnum Angliae examen regnorum Europae appellavit.

§. XIV. Ab isto fonte manavit quondam Italiae calamitas, cum Romani socordia prolapsi, finium, qui praesidiis firmandi erant, et vicinorum, quos defendi oportuit, curam omitterent, atque hostibus ita crescendi spatium darent. Quod malum auxit *Ruffini* et *Stiliconis* perfidia, et excivit gentes immanitate barbaras, quae, aditu patefacto, ad opes viresque imperii delendas temporum vitio conspirabant. *Carolus Sigonius de occidentali imperio lib. X.*

§. XV. Quae tota res sita erat in principum *Augg. Arcadii* et *Honorii* infirma aetate, et educatione nimis vulgari et molli, atque intermissis belli artibus, et summa erga praefectos indulgentia, laxataque disciplina, et data etiam *Stiliconi* per nuptias insolens occasione, et quod magis de monachis, quam de militibus laborarent, prout ex *Zosimo* constat, qui civilium malorum, et inclinationum imperii causas aperit, sciteque describit.

§. XVI. Erat tunc ea rerum facies, ut dici posset, quod antehac dixerat *Hieronymus*. Quid satui esse potest, si Roma perit? Perit autem Roma, et in ruinis cineribusque iacuit, cum a bello in ortum ludosque conversa, torpore suo deficeret, et Gothis *Vandalis*que succumberet, quae tantum vincere docta, et imperare assueta, *Afros*, *Thraces*, *Scythas*, Orientem iuxta atque Occidentem legibus suis regere consuevit.

O o o o o

§. XVII.



§. XVII. Non disparem Candiae exitum nuper timebat *Franciscus Fulvius Frugonus*, nec multo post res ipsa confirmabat, unde par metus atque periculum pervenit ad Siciliam, Calabriam, Marcam Anconitanam, Neapolin, atque Italiam universam. Proxime idem consilium fuit barbaris Viennam Austriae obsidentibus, quum ea res omnium toto orbe Christiano animos perculit, ut passim querulae voces exaudirentur: *quid salvi esse potest Germanis, si Vienna perit?* Hanc enim iure claustrum dixeris, quo refracto, barbari in reipublicae viscera irrumperere queant, *Antonius Florebellus in panegyrico Carolo V. Imp. dicto, qui editus est, ex Bibliotheca Joachimi Morsii*. Nam praeter Austriam aperit Moraviam, Silesiam, Stiriam, et finitimas regiones, et Italiae quoque terrorem infert, si versus Austriae sedem caputque rerum Turca moveat, quandoquidem inde per Tirolis Comitatum, et Alpes Tridentum versus iter suscipi, vel per Stiriam Carinthiamque in Forum Julii, atque hinc in Italiam transiri potest. *Lazarus Soranzus in Ottomanno cap. LXXXIII.*

§. XIX. Nec minus periculum Poloniae imminet, cum ratione finium, et opportunitatis inferendi belli, tum ob vetera pacta, quae inter Hungariam Poloniamque intercedunt, quibus perpetuum foedus, et mutua defensio continentur. *Salomon Neugebauer hist. Polon. lib. V.* Alterutro enim horum regnorum cadente, non potest non simul cadere paries intermedius, in quo rei Christianae arx propugnaculumque est situm.

§. XIX. Non vero congruit rationibus Germaniae hodiernae, quod scripsit Traianus Boccalini, satius esse Germanis, *amittere Viennam, quam recuperare Budam*: quod etiam adducit *Christophorus Forsnerus in notis politicis ad Tacit. lib. VI.* Dicterium quippe istud iamdudum ab Italis Karolinum plus ultra formidantibus iactari coeptum, nunc ab ipsismet sagacibus cordatisque illius gentis hominibus non probatur, eo quod Austria moderatis aequisque innixa consiliis, paci intergentes tuendae studeat, pactaque cum Germanis conventa ex assere servet, bellaque non inferat, sed defendat, partisque insolidum acquiescat. Illud etiam futile est, quod aiunt, Turcici obtentu belli id agi, ut Germanicae vires dedita opera exhauriantur. Namque Austria non gloriae studio, aut potentiae cupiditate, sed quadam propugnandae salutis necessitate sacrum hoc bellum gerit. Exempla docent, iam inde ab aetate Francisci I. Turcas ad distinquenda Austriorum arma fuisse excitatos. Recentius est, quod de Betleno Gabore traditur, qui Turcis obnoxius, ab aliis autem stimulatus, Hungariam Austriae subtrahere cupiebat. *Nicolaus Bellus, et Gaspar Ens, ille in Laurea, iste in Fama Austriaca.* Betlenus quidem audendo promptus, sed occasionum negligens, nec adversus fortuita firmus, et quum de effectu consilii agebatur, ob spem formidinemque anceps fuit et incautus: in quo multum potuit praesentia Legati Polonici, omnia haec tam iniusta, quam praecipitia consilia sapienter disturbantis. *Paulus Piascius in Chron. ad An. 1620. Laurentius Toppelcinus in libello de revolut. Transylvanorum.*



§. XX. Venire tamen usu potest, ut sub nomine auxilii Turcici lateat potentiae privatim augendae consilium, quod superiori aetate exploratum est, cum Veneti Hispanos non renitentes ad foedus invitarent: horum autem mens non erat, arcere Turcas, sed attenuare Venetos, ne fatigati pressique conatibus suis in Italia adversari possent. *Grutianus in vita Commendoni cap. VI.*

§. XXI. Ita plerumque respublicae in spem accipiendi auxilii eriguntur, sed aliquanto post excusatione officii, ac repentinae mutationis praetextu expectatione sua frustrantur: quod, priori bello Anglico, F. Belgas eventus docuit, quibus promissa quidem a Francis subsidia, sed, cum his indigerent, non submissa fuisse, quereitur *Petrus Valckenier, in perturbata Europa part. I.*

§. XXII. Similiter incerta sunt auxilia, quae a Principibus nullo successio- nis iure praeditis expectantur, atque hinc foedera Pontificum parum firma habentur. Brevitas vitae, dissimilitudo eorum, qui eliguntur, et sedi suae indulgentium opinio sententiaque diversa, et rara in tuendis societatibus constantia saepe animo occurrunt, et a prudentibus studiose notantur. Quare clientes amicique Laurentio Mediceo suadebant, Regis potius, quam Pontificis foedus amicitiamque esse amplectendam. Censebant usu docti, eos, qui in bello et discrimine Pontifice amico utuntur, victores ipsum habere socium, at victos calamitatem solos sustinere oportere, apud *Machiavellum hist. Florent. lib. VIII.*

§. XXIII. Igitur consilia, quae longo tempore perficienda sunt, aetate virgine et viribus integris inchoari debent, vel inutilia et intempestiva erunt, quae suscipiuntur. In quo erravit Pius II. qui senio gravis, ad belli contra Turcas gerendi societatem omnes Christiani orbis Principes invitavit, nec multo post magnus exercitus conflavit, annona autem mox consumpta, et pecuniis exhaustis labori et sumptibus impar decessit, militibus ad sua dilapsis. Quae expeditio multis risum movit, et sicut coepta est, sic celeriter desit, dixitque tunc Cosmus, multo prudentissimus Princeps, cum senem esse, qui curet, quae iuvenum sint, et sperare, quae praestari non possunt, apud eundem lib. VII.

§. XXIV. Sagaciores Veneti existimant, bella viribus bellantium esse metienda, quae si non pondere suo nitantur, pari impetu moveri ac deseri, *Grutianus in Carolo Carufa.* Quod sapienter et opportune fiet, si in altera lance potentia hostium, in altera noster apparuit viresque appendantur, *Stanislaus Kobierzyckus in obsidione Czeschoviensi.*

§. XXV. Permultum quidem Pontifices ad statum Italiae possunt, si consilia ad pacem et incolumitatem patriae suae conferunt: at si dominatus et vindictae cupidine agitantur, fieri aliter non potest, quin graves turbae subsequantur. Sixti IV. iniurias quetti sunt Veneti, quos fidei oblitus deseruit, et magna spe successuque arma sumit, plura ausurus, si diutius vixisset. *M. Antonius Coccius Sabellicus rer. Venet. decad. IV, lib. 1. et 2.* Alexander VI. ad totius Italiae dominatum aspirabat



aut Borgiae, notho certe suo, viam eo muniebat, coepta persecuturus, nisi veneno, quod aliis paraverat, ipsum se sustulisset. *Gratianus cas. ill. Vir. in Borgis Roderico et Caesare. Nic. Machiavellus in Princip. cap. VII. et XI.* Sed bellum adversus Turcas prosperum geri non optabat, ne, si victori bene cederet, inde sedi suae periculum existeret, sumturo, ut timebat, ex occasione consilium Carolo rege Francorum, si quidem fortuna ipsi blandiretur, *Franc. Guicciardinus hist. lib. II.*

§. XXVI. Aliqui per imprudentiam et socordiam honestas agendi occasiones praetermiserunt, atque inter eos Hadrianus VI. qui consilii et aeris inops, Rhodiorum equitum causam, non submissa classe, neglexit, malum deplorasse contentus, quod avertere debuisset, ut Hispani eum mature admonebant. *Blasius Ortitius in itinuario Hadriani VI.* Ut vero hic ad honesta pavidus, sic illi ad illicita audaces fuerunt, et omnia calliditatis praesidia in adipiscendo, et amplificando Italiae dominatu constituta habuerunt.

§. XXVII. Multi promittunt largius, quam praestant, et fictis in speciem rationibus, de culpa se purgant, ut solebat Gregorius XV. cuius *liberalitas tantum intra verborum terminos stetit*, cum de pecunia ad bellum Turcicum conferenda rogaretur, *Stanislaus Kobierzyckus in historia Vladislai lib. IX.*

§. XXVIII. Eos demum nulla ratio defendit, qui contra fas et aequum pacta violant, aut perfidiae auctores sunt, Regesque sacramento absolvunt; ut Eugenius IV. Regem Vladislaum in frangendae fidei consilium voluntatemque impulit, quod Regi pariter atque regno exitium attulit, terrore religione conscientiae Hunniade, nec pugnare auso, atque hinc accepta clade Varnensi, quae florem Hungaricae Polonicaeque nationis exstinxit. *Aeneas Sylvius, nec non Iacobus Revius in Eugenio IV.*

§. XXIX. Saepe etiam omissa est optima rerum pacandarum ratio, quae uno hoc capite continetur, ne quid in statu religionis mutetur, prout *consuebant periti rerum Scotiae Proceres apud Buchananum lib. XVII.* Aptè eleganterque hoc disseruit Themistius, et graviter affirmavit, religionem non esse ex genere earum rerum, quae imperari possint, *in oratione VII. ad Valentem.* At enim vero Pontifices diversorum rituum odio impediti, rem Graecam perdiderunt, atque inter hos Innocentius putavit, ante sacrum bellum Graecos ad officium venerationemque *Ro. sedis fuisse revocandos.* *Paulus AEmilius de gest. Franc. lib. VI. cap. 1.* Quod cum animis prospicerent Graeci, aequè religioni ac imperio metuebant, Latinorumque arma multis et occultis conatibus impediabant. Postea Saracenis Turcisque invalescentibus, Pontificum animos, recusando obsequium, abalienarunt, atque auxilio destituti, iugum subierunt, *Laonicus Chalcocondyles de rebus Turcicis lib. VII.*

§. XXX. Hoc vitium est humanae indolis, ut privata odia publicis commodis anteponantur, et aliquando etiam oblitteratae ignoscendo offensae suscitantur, exemplo *Hermannii VVoerdani, odium caede expiantis, et Florentium Comitem indignissime confodientis, Matthaeus Vossius annal. Holland. lib. IV.*

§. XXXI.



§. XXXI. Profundiores Regum affectus, et irae tenaciores sunt, ac fortius premunt, et diutius affligunt, filiisque nocent, nec facile calamitate et exilio mutantur. Quod Carolo Regi Stuardo patria extorri evenit, ductis ab Elisabetha inde odiorum causis, et deinde offensa admissae legationis Bragantinae renovatis, et non praestita navium Hispanicarum intra portus Anglicos securitate cumulate auctis. Non satis erat Philippo, increpare invadentes, et minari vim, nisi insequentes hostium naves a portus castelliqve aditu valide submoverentur. Simulationem auxilii nominavit Hispanus, et non praestitum pro negato habuit, atqve haec initia causaeqve extiterunt iratum, *quae cum rege mortuo non sopitae sunt, sed filio eius quoque nocuerunt. Georgius Bateus in clencho motuum Angliae parte I.*

§. XXXII. Altissimum vero vulnus infligunt, qui sacris iniurias inferunt, quae una labes fuit Vladislai IV. quod Cosacos Graecam religionem professos, novis ritibus ceremoniisque offendit, belloqve deinceps Poloniae luctuoso materiam reliquit, quod servatis eorum privilegiis, evitari, aut iam gliscens, in initiis extinguere potuisset. Sed isti, non recepta libertate, defecerunt ad barbaros, ductuqve Chmielnicij Poloniam infestis populationibus divexatam, Turcis Tartarisqve aperuerunt. *Auctor Commentarii rerum per tempus rebellionis Russicae gestarum lib. I. et II.*

§. XXXIII. Ita non desunt occasiones causaeqve turbandi, quum duces in arma proni, et fide mobiles, reiectis conditionibus, irritantur magis, et viribus diffisi, undecunqve possunt, auxilia colligunt, foedusqve et clientelam barbaris offerunt, omniaqve experiri malunt, quam committere, ut iura privilegiaqve concessa violentur. Paucae gentes tam moderatae sunt, ut eo rerum statu se contineant, et iniqva pati cupiant, ac detrimentis acceptis, mala atqve aerumnas suas Christiano orbi remittant, planeqve conquiescant. Adhuc calamitas in oculis animisque versatur, quam Hungaria accepit secessione *Ioannis Vaivodae*, qui suis non innixus viribus, ad Turcica auxilia se convertit, et se pariter ac patriam in miserrimam servitutum, atqve in funestum et exitiabile bellum praecipitavit, ut pronunciavit Antistes Gnesnensis apud *Reinholdum Heidensteinium rer. Polon. lib. II.* Nec dissentit *Nicolaus Istbuanus Hungarus ipse, sed prudens cordatusqve scriptor, hist. lib. X.* Majori moderationis gloria Veneti, foedere Cameraconsi ad ultima redacti, Laurentii Lauredani de evocandis Turcarum auxiliis sententiam pie et sapienter improbarunt, atqve animum in rei Christianae charitate infixum admirabili et gloriosa constantia demonstrarunt. *Petrus Iustinianus hist. Venet. lib. IX.* Qua in re manifestum ac memorabile coelestis providentiae documentum apparuit, quando Veneti e periculis eluctati, omnia amissa recuperarunt, remqve publicam prope everfam pace et amicitia vicinorum Regum instaurarunt.

§. XXXIV. Multa quidem regentium culpa eveniunt, quae nulla deinceps prudentia corriguntur, si patientiam iniuriae vincunt, et homines, qui nihil spera-



re possunt, in furorem vertuntur. Hoc modo rustici in Austria concitati, arma sumere, et libertatem circumspicere coeperunt, conqvesti vim, quae religioni afferatur. *Ne Turcarum quidem imperitorem, quantumvis saeve et crudeliter suos habeat, credendi modum praescribere. Adolph. Bruchelius hist. lib. III.* Invidia talium consiliorum in Hispanos reiecta est, qui pro illo temporum statu in *Protestantes* acerbius consuluerunt, atque inter eos *Comes Ognatius* dux et autor praecipuus commemoratur, in libro de *causis regum belligerantium*.

§. XXXV. Absurdum et inutile est, cogere homines, ut sentiant id, quod sentire nolunt, quoniam mentis agitatio, et quae ex ea pendent, libera sunt, nec vi poenisque flectuntur, ut vetus, neque inelegans *Rhetor* putat. Multa imperia fatis impulsiva sunt, ea imprimis, quae cum libertate conscientiae certamen habuerunt, et invisae terribilesque *inquisitiones* invidiam, odium ac damna imperantibus conflant. Quod convenit cum gravi iudicio procerum Belgicorum apud *Henricum Paulinum, hist. lib. II.*

§. XXXVI. Quare tuta et opportuna ad prudentiam via est, quam per aliena experimenta inimus, quamque egregius scriptor *Polybius* commendat. Summa enim ratione id Principes cavent, quod rempublicam periculis obicit, regionesque praesertim extimas, et in limite positas turbis atque seditionibus implicat, viresque et opes exhaurit, ac nihil praeter detrimenta provinciis, aut simulacra caeremoniis relinquit. Hinc Hispaniae solitudo et vastitas, hinc sacata religio, quam plurimi Iudaei non DEI, sed patriae amore professi sunt, et *simulata pietate temporari servientes, brevi ad ingenium, fraudes et mendacia redierunt, Mariana lib. XXVI. cap. I.*

§. XXXVII. Alii tamen aliis fortunatiores sunt, securiusque perficiunt, quod multi ne tentant quidem sine conversionis periculo, prout hominum, qui reguntur, ingenia, et vicinorum, qui res occasionesque spectant, status, studia atque odia, situsque ratio, et imperii vires sese habent, quae subinde variant, ac dissimiliter agunt, atque hinc diversos actionum exitus sortiuntur. Qua de causa Hispani fallabantur, cum sibi de Belgis sponderent, quod in Hispania ex animi sententia successerat, ubi nullae difficultates obiectae, et vires coniunctae erant. Idem hoc nuper commodum accidit florenti Francorum monarchiae, quae firmata regni potentia, et munitis finium claustris, res spesque Hugentorum uno vestitu evertit. Initia causasque ruinarum ab expugnatione *Rupellae* omnino et vere repetit *Gabr. Barb. Gramondus hist. Gall. lib. XVIII.* *Thomas Carvacus* tradit, Regem Franciae, excisa hac vomica, suo arbitrio regere subiectos, atque eo esse statu, ut neminem eorum vel amare, vel metuere cogatur, Anno *MDCXXVIII.* Prima horum consiliorum origo accepta fertur *Catharinae Mediceae*, quam rerum periti affirmant, ita voluisse: *de ne souffrir qu' une seule religion absolument, et de ruiner en sorte les autres, qu' elles fussent sans force et languissantes.* Quod innuit, ac totidem verbis refert auctor personatus *Pol. de VVarmond An. MDC LXXXIII.*



§. XXXIIX. Quamvis autem conatus libertati conscientiae infestos auctoritas divini iuris, et religio factorum reprimere debeat, tamen saepe adversantur mores regnantium, atque hinc nimiae potentiae effectus sunt, quos non recte interdum finitimi non aestimant, et in bellorum discrimine sero agnoscunt, praesertim quum occasionem distinendi praereptam vident, atque in visceribus suis tantum se defendere necesse habent, aut, si mare sciungat, obiectis in littore munitionibus, exscendere prohibentur. Proinde Caletum inter Gallos Anglosque diu pacis obex fuit, curamque *Henrici IV.* intendit, ut eius retinendae ratio prima potissimaque esset. *Angolus Galluccius bell. Belg. part. 1.*

§. XXXIX. Nempe ex una saepe urbe omnium vicinorum salus, et rerum summa pendet. Capto Byzantio, omnes Graeciae principes everfi sunt, Peloponnesus subacta, Trapezuntisque regio in servitutem redacta, hinc urbes insulaeque ceterae iugum subierunt. *Chaleocondyles lib. IX.* Postea Hydruntum Calabriae oppido expugnato, Mahometes II. in spem Italiae occupandae veniebat, *Sabell. decad. IV. lib. 1.* Sed eo mortuo, filiis inter se commissis, illud orae maritimae propugnaculum ab Alphonso Ferdinandi filio recuperatum est, totaque Italia metu et periculo liberata, quae superioribus Gallorum Hispanorumque de regno Neapolitano bellis, saepe afflicta fuerat, multaque damna acceperat, *Michael Ritius de Siciliae regibus lib. IV. Thomas Fazellus de rebus Siculis poster. decad. lib. IX. cap. 9.* Non minus periculum, erepto Belgrado, Christianus orbis adiit, et nuper expugnato Varadino, nihilo leviozem iacturam fecit. Quae barbarorum potentia crevit populi Christiani dissidiis, mutuisque Principum bellis Asia periit, et magna Europae pars detraha est, in quam rem differit Leo Armenorum Rex *apud Ioannem Frossardum lib. II.* Alios discordia attrivit, alios socordia remorata est, nonnullis avaritia obstitit, atque inter hos fata ruentis Byzantii securus domique sedens spectavit *Fridericus III. Imp. in negotiis tardus, in bellis lentus et tergiversans, in sumtibus restrictus, nimiumque tenax, Iob. Cuspinianus in Friderico III. Franciscus Belcarius false loquitur, et valde eum reprehendit, com. Gall. lib. III.* Reponi tamen potest, bello Hungarico distractum, externa neglexisse, et ducta commodi ratione, in primis ad res Burgundicas animum adiecisse.

§. XL. Iam vetus tralatitiumque crescentis potentiae institutum est, quod per finitimorum dissidia se explicat, et securius nocet. His artibus Veneti in continentem Italiae progressi, ex mutuis Veronensium Patavinorumque bellis nacti sunt occasionem opprimendi utrosque, *Io. Iovianus Pontanus hist. lib. I.*

§. XLI. Sed non cuivis tam expedita vincendi ratio contingit, et viribus armorumque studiis indiget, ac iudicio opportunitatis, et aestimatione diligenti atque sagaci, aptoque delectu et accommodatione utilitatem elicit, effectumque fortitur. Raro autem Imperia minora suis consiliis libera sunt, ac non facile provincias acquirunt, et suis etiam praesidiis vix tuta esse possunt, atque ad offendendum vires

non



non habeant, et tamdiu deliberant, donec ad agendum necessitate impelluntur. Qua in re maioris Imperii interest, ne Principatus minores negligantur, quorum accessione alteri vires crescant, alteri adimantur. Cauti sunt Itali, diligenterque provident, ne uni cedat, quod omnibus formidabile sit, neque uni tribuatur, quod omnibus debetur. Omnium vero securitas in eo posita est, ne vel unus terrae tractus alienis opibus accedat, si eo fiat, ut reliqui principatus certo et praesenti periculo exponantur, quod exemplo *Lucensium declarat Pontanus, dict. lib. I.*

§. XLII. Sunt tamen, qui pacis causa aliquid condonandum existimant, quasi nihil ultra tentare velit, cui metu belli aliquid traditum est et cessum. At contra saepe evenit, ut quidam hoc modo non mitigati, sed elati fiant, merumque oblata premendi occasione, in commoda sua vertendum putent. Sic Theodericus Odoacrum metu paciscentem circumvenit, nec modo eum vita et Principatu, ut Tatum Romulus, sed etiam necessitate fortunae invitentem, totius Italiae imperio privavit. *Procopius de bello Goth. lib. I.* Qua ex causa Belisarius diu a Theoderici excessu dixit legatis Gothicis, eum inique et insolenter fecisse, quod totam Italiam sibi vindicasset, *libro II. de bello eodem.* Non melius cum Vortigerno Britonum rege actum est, quem socius et socer Hengistus, data sibi Cantia, nondum sorte sua contentos adegit, ut tribus regni provinciis cederet, si libertatem et regnum retinere vellet. *Vilhelmus Malmesburiensis de gestis Regum Angl. lib. I.*

§. XLIII. Aliquando velut intermissa langvet imperandi cupiditas, sed mox quasi erroris poenitentia incitator fit, et non cupita appetit, spretaque desiderat, ut vel sic neglectae occasionis damnum sarcitur. Documento est sapientissima Anglorum regina, quae delatum F. Belgii principatum reiecit, quem postea obnixae affectavit, *Everardus Reidanus annalium lib. XII.* Non est, cur dubitem, eam tunc metu potentiae Hispanicae suscipere non aulam, deinde autem rebus Hispanorum conversis prensasse, sed obnitente Francorum rege, et Belgis, quorsum id spectaret, pensantibus, non obtinuisse. Videbat regina, quantum in eo positum esset, si in opposito littore figere pedem posset. Itaque ab Henrico IV. de auxilio rogata postulabat, traderet sibi in ora maritima portum, quod e re ipsius non erat, qui sciret, quanto certamine, et quantis laboribus Angli ex continente Galliae exacti fuissent. *Gratianus in Henrico II. Galliae rege: et Gallucius part. I. lib. IIX. de Henrico IV.*

§. XLIV. Saepe autem populi aemulatione sibi infesti sunt, et plerisque gentibus insitum fere est odium erga externas gentes, praesertim gravi imperio et dominatione invasas. Medis Persae, Persis Graeci, Cimbris Gothii se obiecerunt. Hoc male cecidit Francis, quos Siculi ob animos a transmarina insolentia alienos, rivolasque acceptas iniurias, per totam insulam trucidarunt. *Lucius Marineus Siculus de rebus Hispan. lib. XI.* Similiter Francis exosi fuere Angli, et data occasione ex tota continente eiectioni, multas et insignes urbes provinciasque auiferunt. Nimis enim durum illis videbatur, ferre iugum et imperium Anglorum, ut est apud *Frossardum.*



dum. Hinc pertinax apud Herodianum. *Non tam delectat libertas, quam servitus offendit, lib. II.* Adco verum est, quod prodidit scriptor prudens: *Parum profici armis, si iniuriae sequantur, in vita Agricola cap. XLX. et ibidem in commentario Michael Virdungus.* Quin et unius hominis ambitio Belgii provincias conturbavit, et unius crudelitas a fide et obsequio eas avertit. Alter fuit Granvellanus, alter Albanus, apud Nicolaum Burgundium *hif. Belg. lib. I. et Gvil. Baudartium polemogr. Nassov. part. 1.* Nimum sibi indulgebat Philippus II. quod Belgas aliis, quam Belgarum moribus regendos putaret, ducemque Albae militari ingenio praeferozem, et imperandi rudem genti non vi, sed pacis artibus succedendae imponeret, tributisque immodicis exhaustam, ad extrema impelleret, malaque non sanaret, sed magis etiam exulceraret *Hugo Grotius anal. lib. I.* Recentius suppetit exemplum Olivarii, qui avaritia sua afflixit Catalauniam et Lusitaniam, demptisque immunitatibus et privilegiis, irritavit, ut repentina tandem defectione inutarentur. *Ad. Brachelius lib. VI. Beni. Priolus II. 34. et 47.* Ex eadem iniustae dominationis causa descendit Princeps Monacensis *Honoratus*, atque in Francorum clientelam se dedit, *Victor Sire Mercur. lib. III.*

§. XLV. Apud Anglos nullum efficacius rebellionis incitamentum est, quam inopia: at secundae res pacem florentibus commerciis opportunam svadent, ut in veteri statu acquiescere cupiant, tumultuamque occasiones vitent. Hinc, regnante Elisabetha, fide et amore obsequium servarunt, et Essexio cives ad arma hortante, nihil ex officio mutarunt, quando ex opulentia simul pavidi et fide firmi evaserunt, *Gvil. Camdenus anal. rer. Angl. part. IV.* Contra Gallorum familiae, re speque consumta, belli civilis occasionem arripuerunt, *apud Priolum II. 50.*

§. XLVI. Nihil autem non audent homines, qui per iniuriam praefectorum fortunis bonisque suis exuuntur, idque barbari etiam reputant, et acerbe ferunt, opibusque multati, diras sibi imprecantur: ut Indi taedio servitutis semet execrati sunt, quod non omnes Hispanos initio adventus sustulissent funditus atque extirpassent, *Hieronymus Benzo hif. nov. orb. lib. I. cap. 17.* Sed qui non statim resistunt, sero dolent, et negligentiae poenas dant, ac pudore spei irritae confunduntur. Neque vero non modo probae, sed etiam non tutae sunt per fidem fallendi artes, quippe quae populos imperantibus infestos pariter et infidos reddunt. Hodie quidem miseri illi homines aut excisi, aut ad incitas redacti iugum excutere non possunt, nisi forte aliquando *Criolii* Hispanis indigenis infensi, numeroque maiores, spe aequioris imperii insurgant, rebusque novis studeant, et data occasione desciscant. Sane in extremo septentrione Russi centum et quinquaginta annorum dominatu pressi, ex durissima servitute, a Scythis imposita, sese in libertatem vindicarunt, *Albertus VViiuk Koialovvicz hif. Lituan. part. I. lib. 8.*

§. XLVII. Id ceteroquin nemini mirum videri debet, quamobrem populi gentesque diversae aegre coniungantur, et coniunctae, iterum facile in partes eant,

PPP PPP

atque



atque dissolvantur. Nam qui moribus institutisque dissident, repentina mutatione eieri impelli que possunt, nec diu concordēs sunt, et civitates quoque ex magna variaque peregrinorum multitudine constantes saepe levibus de causis moventur, ut *Herodianus documento populi Romani suo aevō confirmat lib. VII.* Multis ante seculis Athenienses dissidiis seditionibusque agitati, consilia bona habuerunt, sed interdum cupiditatibus obsecuti, prava elegerunt, ut ex *Thucydido V. constat.* Id quod multis aliis accidit, et negotiorum peritos adducit, ut credant, in bellis civilibus non facile caput rerum Principi esse omittendum, quod Tiberii animo fixum mansit, Carolo I. Stuarto neglectum perniciem attulit, totamque eius fortunam convertit, qui in turbido contra turbas se tueri potuisset.

§. XLIIIX. Neque belli tempore semper expedit, ut milites diversarum gentium nationumque conscribantur. Commodum in mentem venit Christierni II. Daniae regis, qui accitis ex Germania, Gallia, Angliaque et Scotia auxiliis, expeditionem in Svedos paraturus, in summum omnino periculum venit, cum Germani oborta inter milites contentione, magnam Scotorum stragem ederent, neque compesci possent, nisi tandem *formidabilis iste motus, solo metu per se quiescisset, Ioannes Svaningius in vita Christiani II. cap. IIX.* Propter hanc causam saepe numero clades acceptae sunt, et victores etiam victoriae gloriam fructumque simul amiserunt. Quod Conradino Hohenstauffio, Siciliae regi evenit, cum Italos, Hispanosque et Germanos in castris haberet, atque in aciem hostilem inductus, Carolum Andegavensem, iam pelleret ac fugaret: sed quia Germani, in subsidiis stare iussi, aemulatione laudis accensi, et quasi nihil amplius timendum esset, solutis ordinibus vagati, passim et incondite ferebantur, hostis se collegit, et securos incautosque oppressit. *Fazellus decad. lib. VIII. cap. 3.* In quo genere interdum barbari cautiōres sunt, et munia belli diligentius obeunt, culpasque militares severius vindicant, atque auctoritatem iuprimis castrensi disciplina tuentur. Hoc de Romanis suis affirmat *Cicero Tusculan. I. et idem vult suadetque Vegetius lib. III. cap. 10.* At Christiani saepe honoriset fidei immemores, imperio militari non paruerunt, atque hoc vitio Germani et Gallobelgae, quos Vallones nominant, Agriae arcem perdidērunt, nec multo post cum eis Hungari, praedae spoliōrumque avidi, pugnam Agriensem, quae et Crestesiana dicitur, corruperunt, *Ishuanus lib. XXX.*

§. XLIX. Artes belli maxime imperantibus conveniunt, et usu atque experientia inprimis constant, sineque literis disci et exerceri possunt, more Germanorum veterum, qui *literarum secreta ignorabant, Tac. Germ. cap. XIX.* Theodericus Gothorum Rex, nulla eruditione imbutus, maximas res gessit, plurimas urbes cepit, regnumque Italiae occupavit, *Procopius Goth. I.* Illius ex sorore nepos Theodatus literas quidem et Platonis sapientiam animo tenuit, sed negotiis gerendis impar, et rei bellicae ignarus fuit, *Procopius libro eodem.* Apud Arragonios Franciscus Aranda sine ullis doctrinae subsidiis, magna reipublicae munia sustinuit, atque ex-

emplo



emplo docuit, ex homine nativis bonis excellenti formari potius praecepta sapientiae, quam ex praeceptis sapientiae formari hominem excellentem, L. Valla de Ferdinando Aragoniae rege lib. II. Fata Graeciae movent, nimis sapientiae studiis relangvescere animos, et omiffa armorum exercitatione, servitutem pati. Principes palaeſtra decet, ut praefito ſint duces gnari militiae, corpore validi, et bello ſuffecturi, quos Romani Patres cupiebant, deligendosque cenſebant, Tacitus III. 32. Scipio Aminatus diſſ. lib. II. diſc. 10. Facile Carthaginenses vincebantur a Numidis, eo quod altiffima pace educati, deliciisqve emolliti eſſent, Herodianus lib. VII. Nuper F. Belgas diuturna pax fere evertit, cum intermiſſo belli uſu, inter opum commerciorumque ſtudia, finium munitio numque curam neglexiſſent, muneraque militaria non tribuni periti, ſed homines molliter habiti obtinuiſſent. Circumſpecti ſunt Turcae, et molles effoeminatosque populos armorum uſu, et laboribus atque periculis durant, et fortes bellicososque reddunt. Quod exemplo Natoliae gentis liquet, et in hanc ſententiam ſcribit non inſcite commentator Boccalinianus. *Il popolo della Natolia, ch' e naturalmente molle, imbello, e feminile, perch' ubi diſce a Turchi ch' altro non fanno che guerreggiare, ſi ſtima atto ad ogni ſpedizione militare.* Ludov. du May *conſideratione di Tritiano Boccolini ſopra la vita di Giulio Agricola.* Ita artes belli uſu conſtant, intermiſſae paulatim pereunt, atque oblivione delentur. Proinde hodiernus Francorum Rex ad inſtituti huius imitationem milites ſuos fingit atque conformat, praefidiaque ſubinde deducit, et in alias atque alias urbes dimittit, et laboribus ac moleſtiis itinerum, apparatuque caſtrenſi, et delectibus habitis firmat ac inſtruit, et langvore excuſſo praemunit, atque id ex rei militaris diſciplina moderatur, ut pacis tempore ne relangveſcant, nec belli munia oblivifcantur.

S. L. Non equidem literarum ſtudia improbamus, nec ducibus tribunisque vitio damus, quas Romani etiam inter arma non ſpernebant. Cauta illorum in belli ſenatu conſilia, arduae deliberationes, graves ſententiae, rationes iudicandi et conſiciendi opportunae, exemplorumque recordatio, et apta comparatio indicant, non expertes fuiſſe liberalis doctrinae. Aliter Scipio, ac Fabius, pugnavit contra Hannibalem, quia, rerum temporumque facie mutata, ſic expediebat: neuter vero eorum a literis erat alienus. Noſtra memoria Reym. Montecuccoli in omni genere doctrinae valuit, Fabiumque cunctandi arte et prudentia aequavit, praefectosque bellorum docuit, hoſtes non tam conſiſtibus et praeliis, quam mora et intercluſo aditu, opportunisqve receptibus poſſe debellari. Hoc Tiberius a Germanico exigebat, hoc Carolus V. Francorum Rex reipſa praeftabat, et Anglorum impetum cunctatione frangebat, ſedendoque vincebat, nec tam armorum, quam conſiliorum certamine ſuperabat. *De illo Tacitus A. II. 25. de iſto Polyd. Vergilius Angl. hiſt. lib. XX.* Plerumque enim venire uſu ſolet, ut populi armorum uſu feroces ac fervidi, ſpe pugnae amiſſa, fatigentur, bellaque impetu valida per caedia et moras evaneſcant, ut Svetonius Paulinus iudicabat, *apud Tac. H. II. 12.*



§. LI. Sat prudens est, qui timenda timet, ac tempestive praevidet et avertit, atque ex vicinis utilitatem caprat, ut per amicitiam atque necessitudines conciliati, arma ponant, nec sibi nocere possint, quod facere consuevit Augustus apud *Tranquillum in Aug. 48. et 49.* Minus opportune Henricus II. Fr. Rex ab hoc instituto recessit, Iuliumque III. Pont. a partibus suis avertit, aestuantemque magis incendit, quod non metus, sed ira animum eius tenebat, cuius non irritandi, sed placandi ratio quaerenda videbatur. *Sfortia Pallavicinus hist. conc. Trid. lib. XI. cap. 12.* Sane ita comparatum est, ut apud audaces atque praeservidos non valeant acerba remedia, et plus apud hos possit unius iniuria opinio, quam mille beneficiorum recordatio, ut malo suo didicit Thomas Crannerus apud *Franciscum Godwinum in commentario de Praesulibus Angl.*

§. LII. Nihil circumspicere sunt, qui immodicis rebus faciunt, ut gentes pace quietae, vires suas bello experiantur. Quod ne fieret, Hispanis provisum esse debuit, quorum consiliis error intercessit, quum committerent, ut Hollandi Zelandique vires suas mari discerent, ac deinde instituta Indiarum navigatione, maiores potentiae experimentum darent, bellumque potius persequi, quam a commercii quaestu fructuosus abstinere vellent, id quod ex *Bentivolo, Reidano et Gallucio constat.*

§. LIII. Non facile tentandum, quod obtineri non potest, ne palam fiat, non posse effici, quae Principes effecta cupiant, in quo auctoritas imperii vertitur, ut omittantur, quae praestari non possunt. Quo factum est, ut Sionis edictum de prohibito Zythi usu a Dano quodam eluderetur, et quia executio difficilis, et cum periculo auctoritatis coniuncta erat, antiquaretur. *Saxo Grammaticus lib. VIII.* Prudentior Tiberius, nihil suscepit, quod non assequi posset, et ea consulto omisit, quibus imparem se sciret, *Tacitus A. III. 13.* Facilis profecto ad contemptum via est, si tales sint leges, quae secure spernuntur.

§. LIV. Alii, ut probrum vitent, sensus abdunt, verbisque ambiguis et suspensis implicant, atque iuris imagine ius violant, bonosque summovent, et fontes absolvunt. In quo genere artifex fuit Tiberius, apud *Tacitum A. I. II. III. 17.* *Cyriacus Lentulus ibidem apb. XXXI. in aula Tiberiana.* Nuper Tiberium verbis ancipitibus et lubricis imitatus est Mazarinus, et promissorum ambiguitate simplices credulosque delusit, sed Tiberio dissimilis, quod feroces lenitate, et proceres infensos prudenti moderatione domuit ac fregit, *Priolus II 45. 49.*

§. LV. Diversa est lenitas, quae sinceritate fundatur, quam Veneti in Maximiliano I. et purpurati Romae in Ferdinando I. tantum non deridendam putarunt: alterum, quod nimis facilis erga Veneti nominis rempublicam, alterum, quod nimis alieno consilio arbitriosque obnoxius fuisset. *De illo vid. Guicciardinus hist. lib. IIX.* qui, praeter summam erga Venetos indulgentiam, notat eius negligentiam, et confusam rei bellicae administrationem: *de isto Pallavicin. lib. XXIV. cap. 12.*

§ LVI.



§. LVI. Armis paratur servaturque regum auctoritas, nec modestia sufficit, quum de iure certamen est, et patientia etiam pro ignavia habetur. Id Caesaribus multum per Italiam nocuit, cum virium tenuitate nominis illius dignitas paulatim obsolesceret, atque potentiae opinio minueretur, *Goucciardinus III.* Quae causa fuit, quamobrem Pontifices Romani viribus aucti, de potestate Caesarea detraxerint, iusque eligendi Pontifices, aut electos confirmandi ipsis eripuerint, unde aliquoties magni et periculosi motus extiterunt. Ratio ususque comprobant, imperia *electione* constituta gravibus interdum laborare morbis, ac ruere in discordias et bella domestica, si dux contigerit, qui partibus fiduciam addat. Quare post tempora Ottonum, et Henrici III. Saliqvi, repertae sunt artes distrahendae Germaniae, quibus attrita est Imperatorum potestas. Cuius argumenti partem attingit *Hugo Grotius in libro, qui inscribitur Ordinum Hollandiae ac Westfrisiae pietas.* E contrario Francorum Reges successione nixi, ius eligendi Episcopos constanter asseruerunt, neque hoc unquam sacro ordini permiserunt, quod summae regum potestati debetur. At enim vero Romani Antistites, quod vi non poterant, astu quodam, et quasi per cuniculos infringere, et ritu concessuque *pallii* alienum ius invadere, idque ad se trahere, saltem *electionis* umbram titulo confirmationis retinere voluerunt. Quorum spectat *Petrus Marca lib. VI. cap. 6. de conc. sac. et Imp.*

§. LVII. Apud Sarmatas religionis et regni incrementis datum est, ut ex consilio atque arbitrio Pontificum plurima constituerentur, auctoritasque et opes sacri ordinis maximopere fundarentur. Multum hoc de regni reditibus detraxit, et turbatis subinde rebus, additisque Boiemorum imperio Silesis, Polonos admonuit, ut opulentum reipublicae rectorem circumspicerent, et Jagellonem omnibus aliis regni precis anteferrent. Patriae amor, et publica utilitas, et novarum accessio virium, societasque et coniunctio Lithuaniae plus movebant, quam privati foeminae affectus, quos pro ineptis iuvenilibus habendos esse credebant. Cessit tandem Hedviga impotens, et coniugii sui regulam in *coniugio Lithuaniae cum Polonia* positam esse intellexit. *Martinus Cromerus rer. Polon. lib. XIV. et XV. Ioach. Pastorius Flor. Polon. lib. II. cap. 21. lib. III. 1. Koiatovicz bist. Lituan. part. 1. lib. 9.* Hinc expeditiones Polonorum instauratis viribus susceptae, redactisque in ordinem Cruciferis, feliciter confectae sunt, et alibi, sed praesertim in Prussia, fortunatos exitus habuerunt. Subtiliter, ut solent, Itali has tales foeminas appellant victimas, quas paci et saluti publicae sacrificari oporteat, prout in Sabaudia, contracto inter Mauritium et Ludovicam Mariam connubio, usu venit.

§. LIIX. Ab eo tempore Poloni non expetunt divites Reges, quippe quorum potentia illis metuenda est, neque finitimis expedit, optimusque is creditur, qui nihil ex libertate mutare aufit. Idcirco Maximiliani Austrii spes dilapsae sunt, cum Senatores eligendi libertate freti palam dicerent, *Poloniam quaeritare non dices, sed bonos rectores, a bonis salutem recepturam, a potentibus periculum, Andreas Maximilianus Fredo in Henrico Valeso.*



§. LIX. In quo negotio ut metus ratio versatur, ne fiat, cuius eligentes poenitere possit: Sic barbari quoque animos advertunt, neque ibi Reges eligi cupiunt, quorum timendam sibi potentiam ducunt. Quae ex causa ab Austriis et Moschi dehortati sunt, quos hostium loco se habere indicarunt, nec pauci tunc fuerunt, qui in hanc sententiam locuti, barbaros non esse irritandos censuerunt, *Heidensteinius lib. II.* De Selimo Turcarum Imperatore proditum est, cum primo indigenas, tum inter externos Henricum Valesium, velut amicum, a quo sibi non metueret, reipublicae Polonorum commendasse.

§. LX. Alienati quidem tunc Austriorum animi, sed communis metus vinculo deinceps iterum inter se colligati, sua et Christiani orbis causa molem impetumque barbarorum sustinuerunt. Quare Ioannes III. renovato Jagellonidarum foedere, e republica esse censuit, non relinquere perdendam barbaris Hungariam, quippe ita sitam, ut communem cum Polonia fortunam habeat, et iisdem bellicibus obijciatur. Causa una, periculum commune, studium securitatis par, necessitas aequalis fiduciam sinceri foederis afferunt, praesertim cum eo Rege, qui pro statu reipublicae, atque ingenio civium, et conditione aerarii, ac temperamento belli socialis non facere provincias, sed defendere instituit, et consiliis viribusque aequali potestate coniunctis arma capessit, et finium vicinatisque ratione ducitur, et pacti etiam religione tenetur. Profanum est, nemini fidem obliganti credere, et perire malle, quam salutis suae causa admittere copias externas. Alcibiades quidem ait, per auxilia ad defensionem submissa parasse imperium, et esse velle Athenienses, *Thucyd. lib. VI.* Sed magna utrinque dissimilitudo intercedit, et saepe alibi nocet, quod alibi expedit, nec idem omnibus conducit, et temporum imperiorumque diversa facies subinde res mutat. Nihil temere mutabunt socii, qui non collocantur in praesidiis munitarum urbium, atque extra arces et propugnacula consistunt, et simul ac praesto sunt, ad instruendam aciem educuntur, belloque confecto, numeratis stipendiis, in regiones, unde venerunt, remittuntur. *Chr. Forstnerus in centur. hypomn. II.*

§. LXI. Sane in rebus dubiis, quae ancipites exitus habent, cauto opus est, neque uni ex sociis tantum concedi oportet, ut specie auxilii invadere rempublicam possit, quod de Alenonio Belgis suggererat Elisabetha. *Reid. anal. II.* Obstabat externo Ducum aemulatio Anglica, et fortunae imperiique conversio timebatur. Non aliter in bello evenit, quum socii, ingenio institutisque diversi confluunt, qui non facile sinent, ut unus aliquis arma in socium vertat, et hostile aliquid moliat. De cetero tamen adversus communem hostem uno animo capere consilium, et belli socialis munia obire possunt, et utiliter solent, cum imperium militare apte dispensatur. Quae ratio quoque valet in constituendis urbium praesidiis, et felici rerum successu explorata est, atque a F. Belgis, et aliis populis etiamnum, sed imprimis in regionum limite, usu probatur. *Auctor. commentarioli de statu F. Belg. cap. VI. §. 9.*

§. LXII.



§. LXII. At quo pacto sociorum subsidio venientium rationibus consula-  
tur, difficile magis impeditumque est, dum experiendo constat, socios plerunqve,  
sublato periculo, opinione citius, dissolvere foedera, nec stare conditionibus mu-  
tuo conventis. Quam in rem multa exempla suppetunt, quae a Gvicciardino et  
Thuano memorantur. Simul eo spectat *Iacobus Zeyecorius obs. ad Florum lib. I. cap.*  
*17.* Nusquam tuta fides, et ideo circumspectione opus est, nec ulla ratio tam specio-  
sa videri debet, ut vel religionis obtentu dedecus admittat, foedusque rumpatur.  
Quod homines sacri ordinis in Daventria cupiebant, perque epistolam generales  
Belgii ordines obsecrabant, Rupellanis laborantibus auxilia mitterent, nec tam o-  
culos in foedere cum Rege Francorum, quam in Dei religionisque causa defigerent,  
*apud Iac. Revium in historiae Daventriensis lib. VI.* sed reiecta sunt hae obsecratio-  
nes, quibus artes fidei frangendae tegebantur, ut intelligerent, ius foederum inter  
Principes et republicas nulla iuris specie, nullo religionis colore esse violandum.  
Nec modo iustitia, sed etiam utilitas a consilio isto aberat, quando aliis tunc consi-  
liis insistebant Belgae, et foedere Francico libertatem suam tuebantur.

§. LXIII. Qui praeterita ingerunt, saepe de bello sociali, quod superiori-  
bus annis adversum barbaros gestum est, loquuntur, et curam eius persequendi im-  
prudenter omissam fuisse conqveruntur. Editae sunt schedae, in Caesarem iniquae  
et contumeliosae, quas refellere supervacuum existimo: causas multi probabiles,  
pauci veras attingunt. Sed ratione et iudicio factum est, quod Hungarorum studia  
divisa, et Francorum auxilia suspecta essent, unusque in augusta domo, et idem  
coelebs existeret, qui Turcas pacem poscentes irritare nollet, haud ignarus incerto-  
rum bellicafuum, quibus maximae saepe fortunae in discrimen offeruntur. Non  
haec sola cura fuit, cum Rex Hispanus affectae aetatis, huiusque filius impubes,  
Belgiumque Hispanum praeválido armis vicino impar, eam quoque Caesaris solici-  
tudinem intenderent, ut sapienti consilio, et facta induciarum pactione, vires co-  
gnato et imperio profuturas servaret. Nam ubi nova pericula circumstant, ancipi-  
tesque motus, tentatis Procerum animis, timentur, atque indicia magni et formi-  
dabilis apparatus se produnt, vires et auxilia in promptu habenda sunt, cum sera de-  
fensio plerunqve inutilis, patientia autem pro ignavia, aut certe *pro imbecillitate* ha-  
beatur, *ut siculus Ibburnanes censet apud Ioannem Barclaium Arg. lib. II.* Nec melius si-  
bi consulunt, qui non prius, quam cum infestantur, novos, et ex quavis turba col-  
lectos exercitus parant, quos non multum ab inertis vulgi multitudine differre, pro-  
nunciat *Gvicciardinus lib. XVIII.*

§. LXIV. Prudentis est videre, quod utile sit, et cavere, quae noceant, ac  
tempestive extruere aggeres, priusquam eluvio obruat, et antevertere tempestates,  
quae magnos subitosque imbres effundunt, *apud Thomam Roëcabellam in Princ.*  
*pruëtico.* Cautè Leopoldus, nec alieni avidus, et suorum retinens, a Danubio usque  
prospexit ad Rhenum, et in utrumque limitem oculos direxit, et eventura cogitati-



one praecepit, atque adeo in tempore se ad auxilium comparavit. *Adam Ebertus rel. lat. XXX. ex Parnasso. Inprimis nervose Samuel Puffendorffius introduct. in imper. Europ. cap. 8. de Germania. Quare in militare ingenium convenit, quod Dictator Romanus dixit, non praevisa et cogitata, sed ex tempore suscepta feliciter evenire, Plutarchus in Sulla, quorsum spectat Thucydides lib. I. et Curtius VII. 7. ac ibidem in not. politic. Io. Loccenius.*

§. LXV. Post bella vis imperii se magis exerit, regnantiumque auctoritas cum viribus crescit, novisque potentiae subsidiis munitur. Cato olim cum de bellis, quae Gaius Caesar gesserat, cognovisset, libere locutus censuit, non Britannos, nec Gallos, adversum quos pugnaverit, sed Caesarem pop. Ro. esse formidandum. *Plutarchus in Catone Minore. Hoc fraeno Octavius Augustus, summotis Antonii armis, Romanos in ordinem redegit, populumque in provinciis ab omni potentia exclusit, ut ex Dione liquet. Nostra memoria Fridericus III. Danorum Rex, bello ex temporum necessitate confecto, plus obtinuit, quam amisit, si plura est, plenam hereditariamque regni potestatem, quam plures provincias obtinuisse. Chr. Ad. Thuldennus enne ad. II. lib. III. Io. Iust. Vinckelmannus hist. Oldenb. part. V. cap. 1. Ludovicus XIV. pace apud Gelros facta, fortissimum domandi Hugonottos remedium invenit. Nempe in visa dominantibus libertas, qui tantum subiectos sibi habere cupiunt, et contra morem obsequii illos facere existimant, si de fide factisque suis suspicio in Franciae Regum animis diu insedit, et data post occasione, Hugonottos afflixit: quos Elisabetha fovendos censuit, et propter sacra communia fratres suos appellavit, ut refert Guilielmus Dondinus lib. III. de rebus ab Alexandro Farnesio gestis.*

§. LXVI. Ex iure imperii proficiscitur ratio, quamobrem in cives ad obsequium redeuntes non decernatur triumphus, ne mos belli, qui ad hostes pertinet, profanetur. Quare Ioannes Casimirus mutatis ad poenitentiam *Confederatorum* animis, nulla scolorum tormentorumque solennia adhibuit, ne novo et indecoro exemplo de civibus triumphare videretur. *D. E. an. MDC LXIII.*

§. LXVII. Illud quoque compertum est, per occasiones rerumque successus multa fieri, multa destinari, quae ante bellorum motus ne in animum quidem imperantibus venerunt. Hoc nuper ista regna experta sunt, quorum proceres, non tempestivo ad bella hortatu, suam et pristinam reipublicae conditionem insigniter commutarunt. Olim Romani, cum suo iure regi possent, non moderati moris licentia eo devenerunt, ut alieno arbitrio obsequerentur. Ita cogitata recidunt fere in suos auctores, et vulnera quaedam curatione rescinduntur, id quod Sullanis temporibus evenit, *Florus lib. III. cap. 23.* Nunquam aetate Ferdinandi II. tota Germania fuisset commota, nunquam omnes *Protestantes* simul insurrexissent, si pro conditione Reipublicae, et animorum habitu remedia mitiora extitissent, si proscriptio- nes et religionis edicta non maiora patriae vulnera aperuissent, quae cum non caute tracta-



tractarentur et aspere, mox vehementius refricari coeperunt. Postea rebus pace confectis, invisa dominatio, et servitutis metus, et belli civilis mala sublata sunt, ac aequis reipublicae legibus studia partium cesserunt: domi quies et diu firmata libertas adhuc praesidium habent, nisi quod externa potentia difficultates obiicit, et cura tuendi limitis superest, quem nuper barbari, sed non inulti, ruperunt, et ab urbe Augusta, quae fortiter obsidionem pertulit, reiecti, collatisque signis repulsi, cladis ignominiam sibi, fugae memoriam posteris. Caesari locisque victoriam, aeterna laude dignam reliquerunt. Sive autem hoc inclinantis barbarorum imperii, sive degenerantis eorum fortitudinis indicium omneque capiatur, profecto Dei providentia constitutum est illud rei Christianae propugnaculum, ut in eo Solymani gloria obsolescat, et Mahometis IV. fortuna, exuto castris exercitu, ibi haesitet, atque omnes adeo ferocissimorum hostium conatus viresque isto in loco opportune et auspicate frangantur.

## LXXIX. CHAR. EVENT. AD

## RAT. IMPER.

**D**ermultum rationes et exempla valent, et omnia, quae traduntur a sapientibus, ulu confirmant, ac variis reipublicae negotiis in signe momentum afferunt, et modum formamque agendi commo- strant, si ea, quae par est, comparandi solertia, et accommodandi iudicio adhibentur.

§. II. Id potuit Themistocles, et naturae bonitate, ac idonea exercitatione consecutus est, ut unus is maxime inter suos, consilio praesenti et expedito uteretur, *apud Thucydidem lib. 1. et Corn. Nepotem in Themistocle cap. 1. 2. seq.*

§. III. Omnino enim sapiunt, qui ut tempora incidunt, sic res quasque opportune cogitant, et apte conferunt, et recte iudicant, atque in ea parte etiam praestantiores imitantur. *Aristides in oratione de Smyrna ad Augg. Marcum et Commodum habita.* Hoc Themistocli reipublicam capessenti usque venit, cum utraque mentis vi praeditus, facta Milciadis intueri, et imitari consuevisset. Adeo verum est illud. τὸ μιμῶσαι τὰς κρείττους ἐν Φρονέσων ἐστὶ. Ipse hoc fassus est Themistocles, quum animo ad laudem erecto dixit, *ὡς καθεύδων αὐτὸν ἐν ἑώῃ τὸ Μιλτιάδης τρέπαιον,* *apud Plutarchum in Theseo.*

§. IV. Quod statu urbis populari Dux Atticus effectum dedit, et apta rerum consiliorumque similitudine civibus ostendit; haud alieniore exemplo comprobavit, et feliciter confecit Mecoenas, sed firmando unius imperio intentus, quod salus publica, et belli civilis finiendi necessitas, et ipsa adeo temporum ratio non ferrent, ut civitas exaequato iure in posterum uteretur, populoque libertas, Caesari

Q 99 999

pre-